Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 339
Quelle:
Copyright:

Hostibus orando sed uos num saxa rotando
Hos deuincetis quos perdomuisse uidetis
In paucis annis orbem cunctisque tyrannis
Preualuit tytus bellis et in arte peritus.

CXXVII. VI Eg.

327 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 112. f. per 2. columnas luculente scriptus et miniatus est tertium Exemplum *Aurorae Petri de Riga*, itaque cum duobus praecedentibus contendendum. Initium ducit ipsius *Petri Prologus* supra inscriptus: *in libro floridi aspectus*, hic absque titulo, et continuo connexus cum Commendatione prosaica, quae *Cod.* ult. incipit: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata* &c. Subjecta est huic Nota sequens: *Vbicunque per totum hunc librum duo puncti media uirga fuerint annotati. sunt uersus egidij* (Paris.) *qui post compilationem petri ipsum sollempniter emendauit. Vnde hii versus:*

Scire cupis lector quis codicis istius auctor
Audi quid breuiter dicat ad ista liber &c.

Ut *Cod.* ult. et *Leyseri* p. 695. sed hic legitur *prior remys* et *acutior* pro *prior tenuis* et *auctior*. Mox sub rubrica: *Alter Prologus* succedit Elegia *Cod.* ult. tributa *Canonico S. Mariani Antisiodor.* cujus initium:

Pingere (stringere) *pauca libet bona carminis huius et ipsum*
Laude uel exili magnificare Deum (librum) &c.

Tandem sub titulo: *Epylogus breuis ad quem sequitur narratio*, Versus illi argumenti instar:

Primo facta die duo celum terra leguntur &c.

Atque hactenus παρεργα; quae, si lubet, cum *Codd.* praeced. confer. Opus ipsum cum infarctis *Aegidii* eodem ordine procedit, ut in illis; observo tamen in *Prologo*, quem habet *Leviticus*, omissum esse, et recte quidem, illud distichon:

Vox autem domini moysen uocat. imperat illi
Ut sua uerba ferens plebis in aure serat.

Cum alioquin *Liber* ipse ab eo disticho auspicetur. Rectius itaque *Prologus* inchoat:

Libro premisso coniunctio quam legis istum
Nectit nam scripti pene fuere simul.

Rectius